

recipi, vt inde, quo ascendit ad nos reuertatur et descendat, quem locum autem humana natura Christi occupat, eo et capi ipsam oportet. Nam vt homo locum occupat ita locus capit hominem et sicut illud verba ita hoc sententiam euangelistae interpretatur. Et quod ibi Petrus dicit<sup>33</sup> et docet magis explicat haec interpretatio. Dicit enim, in coelo eum esse et locum, quem ibi occupauit et qui ipsum accipit, tenere ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων et diserte quidem ἄχρι seu vsque ad id tempus. Tum enim coelo rursus effe- ret id, quod intulit, et quod iam in ipso coelum capit atque, vt sine ambiguitate dicamus, coelo capitur humanam scilicet naturam et ostendet hanc iterum terris sicut ipse de se praedicat et praecones angeli reuersurum eum ita vt ascenderit, vt hostes etiam eius videant, quem transfixerunt. Etsi autem in hac etiam vita coelis apertis vidit ibi filium hominis astantem ad dexteram Dei Stephanus.<sup>34</sup> Ante tamen hoc tempus, quod in terras descendurus sit aut hoc, quod in coelum intulit, terris exhibiturus nusquam scribitur. Ne vero postquam in coelum ascendit nobiscum esse desineret. Spiritum san- ctum suum inde in terras eum misisse scribunt Ignatius et Tertullianus,<sup>35</sup> vt hunc arrabonem haberemus et per hunc nobiscum esset vsque ad consummationem seculi id est ad tempus hoc reuersionis suae.

Transsubstantiatores quidem sacrificuli idolatrae gloriantur, se posse Christum in terras reducere in missa sua quoties velint ideoque suum ordinem praestantiorem esse Maria virgine, quae semel tantum Christum in mundum intulerit et hi tamen sic etiam coelo eum se detrahare non audent affirmare ideoque eum ibi esse non negant et si eo ascendisse Christum negarent, se fidei articulum contra scripturam euertere intelligerent neque locum eis in ecclesia amplius concedi posse. Cauent igitur sibi cautores isti minus incaute quam tu tibi, etsi<sup>i</sup> comminiscuntur aliquid inexplicabile et transsubstantiationem eiusmodi, quae ad ἀνυπόστατον aliquid recidit, cum sic tamen coelitus nouam substantiam creari aut transfundi fingant.<sup>36</sup>

Cum his vero dum facere tibi non libet, ne detractio aliqua opus sit aut in coelo corpus Christi quaerere necesse habeas humanam naturam Christi vbi- que esse fingis, quem in coelum ascendisse negare non audes, etsi re negas, quod verbis profiteris. Quod autem in coelum intulit, ideo eo intulit, vt ibi esset et alicubi, cum vbi- que esse non posset, ne quod est esse desineret, et vbi- que esse corporis proprietati est contrarium neque imbecillitas, sed proprietas corporis. Is autem Christus, quem colit ecclesia ipsius, verus Deus est

<sup>i</sup> et: A.

<sup>j-j</sup> Nicht in A.

<sup>33</sup> Vgl. Act 3,21.

<sup>34</sup> Vgl. Act 7,55.

<sup>35</sup> Vgl. etwa Tertullian, De praescriptione haereticorum XIII,4–5, in: PL 2, 26f. (FC 42, 256,9–17) und Ps.-Ignatius, Ad Ephesios XV, in: PG 5, 747. 750 (Funk/Diekamp, 253,9–21).

<sup>36</sup> Vgl. Gabriel Biel, Canonis misse expositio. Pars secunda. Lectio XL P, hg. v. Heiko Augustinus Obermann/William James Courtenay, Wiesbaden 1965 (VIEG 32), 111.